

**5. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, March 17, 2014, Prot. N. 48640/13 CA (cf. Prot. N. 48641/13 CG)—Appointment; Incardination—Lack of *fumus boni iuris*—No free**

---

Prot. N. 48640/13 CA

Nominationis; Incardinationis

(Rev.dus N.—Congregatio pro Clericis)

Cf. etiam Prot. N. 48641/13 CG

Decreto diei 20 ianuarii 2014 recursu ad normam art. 76, §1, n. 4 *Legis propriae* ob terminos peremptorios elapsos in limine reiecto, die 30 ianuarii 2014 ad Congressum provocavit Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus.

Termino peremptorio triginta dierum ad suetam solvendam cautionem a literis die 4 februarii 2014 receptis statuto, die 18 proxime insequenti Cl.mus Patronus epistulam Rev.di Recurrentis notam fecit, qua Rev.dus N. se imparem dixit sive solvendae pecuniae sive mandato Cl.mo Patrono collato confirmando.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Pro comperto habito quod rationes adversus decretum reiectionis a Cl.mo Patrono adductae nullo communis H.S.T. iurisprudentiae suffragio gaudent de diebus supputandis quoad peremptorium terminum de quo in artt. 34, §1 et 74 §1 *Legis propriae*;

Attento quod, recursu fumo boni iuris prorsus carente, ne sermo esse potest de gratuito patrocinio, in casu utcumque explicite haud petito;

Considerato quod intra statutum terminum peremptorium, immo huc usque, cautio in arca H.S.T. deposita haud est;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;  
Vi art. 78, §1, praefatae *Legis propriae*,

**declaravit:**

**Recursum peremptum.**

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 martii  
2014.

+ Franciscus DANEELS, o.praem.  
*Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, m.g.  
*Praepositus Cancellariae*